

nunc causas recitabimus, quibus mouemur, vt ab illis dissentiamus. Valde autem oramus omnes, qui pia cum modestia veritatem quaerunt, ne credant nos curiositate aut quia ex philosophia nos decipi patiamur ab istis dissidere. Est quidem haec oratio plausibilis apud populum, qui odit artes et cuius iudicia solent esse de literatis, quale fuit Midae de Apolline.¹⁷⁹ 5

Sed profecto eo magis delinquent isti δημηγόροι, qui et optima studia propter popularem auram traducunt et falsis criminibus innocentes deformant. Dulce est plebi audire, eos rideri et premi, qui sunt in existimatione sapientiae, perinde vt veteri versu dictum est: „Mures suauiter vesci carnibus felium.“¹⁸⁰ Auide has et similes voces arripiunt, ipsos vesci nucleo, reliquis vero tanquam porcis putamina obiici. Certe et nos ciues ecclesiae Christi non vero sectatores Epicuri sumus, etsi nunc hoc ipsum nomen Christianum nostris pene detrahatur, tale enim est seculum. Cum igitur in aliis articulis fidei Deo sese patefacienti in suo verbo reuerenter assentiamur et fateamur doctrinam ecclesiae esse sapientiam ignotam omnibus creaturis prolatam vero ex sinu aeterni Patris per Filium, an hunc nostrum oratorem in vno solum capite argueremus mendacij et ipsius ordinationi nostras ratiocinationes opponere stateremus, quem alioqui audimus in omnibus? An non in ista ipsa, vt ita dicam, noui foederis sanctione sonamus et credimus talia, quae longe non modo superant rationis iudicium, sed illi plane aduersantur? An ex naturale luce statuere possum mihi ad hanc sacram coenam accedenti et fide intuiti mediatorem hac sumptione donari et obsignari vitae aeternae haereditatem, ita vt ego peccatis horribili-[59:]bus pollutus, ex faucibus diaboli et aeterna morte creptus, transferat in regnum Filij Dei, cuius corpori tanquam proprium membrum suo capiti inseror, cui efficior conformis, immutatus mutatione vera et reali in anima et ita, vt etiam corpus redactum in cineres, resuscitandum sit ad vitam perpetuam et beatam? Suntne haec philosophica? Suntne haec putamina? Quae cum firmo pectore amplectar et Filio Dei laudem iusticiae, misericordiae et omnipotentiae tribuam, qui et immutabilem diuinae iusticiae legem firmiorem, quam est ordo physicus vniuersae naturae flectit et mutat, an non crederem eundem alia quaecunque vult facere posse, si hoc esset patefactum? Desinant igitur concionatores nos accusare quasi de absurdo physico pugnemus. Pugnamus, vt verum maneat, quod Christus definijt, vt phrasis sacramentalis iuxta mentem autoris intelligatur, vt non assuantur interpretationes pugnantibus cum articulis fidei et cum tota antiquitate. Quia vero supra mediocri perspicuitate fundamenta causae integre proposuimus, nunc ex iis capitibus rationes deducemus. 35

¹⁷⁹ Midas, eine mythische Gestalt, wurde während eines musikalischen Wettstreits zwischen Pan und Apollon durch Apollon mit der Verwandlung seiner Ohren in Eselsohren bestraft. Vgl. hierzu Johannes Scherf, Art. Midas II, in: NP 8 (2000), 154f. Zu Apollon, dem griechischen Gott der Mantik und der Musik, vgl. Fritz Graf, Art. Apollon, in: NP 1 (1996), 863–868.

¹⁸⁰ Vgl. Suda, Lexicon Sigma 911, in: Suidae lexicon. Bd. 4, hg. v. Ada Adler, Sammlung wissenschaftlicher Commentare, Stuttgart 1935 (ND: 1971), 416, 12f.